



IVSTA KOSPOTHIANA

8.6

sive

E X E Q V I A E

*Matronae, antiquo genere ZERSIANO, omni-
que virtutum splendore illustris*

DN.

CATHARINAE

A KOSPOTH,

Dnae in Seubtendorff & Wölffis/

DN. FRIDERICI à KOSPOTH,

Hereditarii in Seubtendorff &c.

Serenissimorum Saxoniae Principum

intimioris in Camera Vinariensi Consilarii, il-

lustrisq; Illorum Regimini, nec non Curiae Pro-

vincialis, quae heic est, Praesidis eminentissimi,

summiq; Capitanei Jenensis B^{nae}. M^{ae}.

RELICTAE VIDUAE,

Anno superioris seculi 94. d. 14. Martii feliciter natae,

& praesentis 76. d. 10. Octobris pie denatae,

ab

ACADEMIA IENENSI

ultimo honore exceptae

d. XII. Nouembris.

A. R. S. clb Ibc LXXVI.

JENAE, Typis NISIANIS.



COSPOTINA sui generis generosa Corona
 Ut quondam fuit; ingreditur sic cœlica regna
 Nobilitate magis, sperata tropæa capeffens.
 Nostrum erit, huic animæ cœlesti sede repostæ
 Gratari meritò de acceptâ luce beatâ!

Sic obitum Matronæ pientissimæ lug.

Augustinus Henricus Faschius, D. Anatom.

Chirurg. & Botanic. Prof. Publ. Archiater Duca-
 lis Saxonicus & p. t. Academiae RECTOR.

Grandævam duxit vitam Kospothia nostra;
 Exsuperans sexûs egregiumque Decus.
 Nunc erepta quidem terris, sed morte beata:
 In cœlis vita perpetua fruitur.

Debitam συμπράδειαν demonstraturus scrib.

Georgius Adamus Strube / D. Consiliarius

Saxonicus intimus, & Collegii Juridici Præses
 Ordinarius.

B. M.

Egregia mater subolis: Caja unius una:
 Casta DEO vidua: perq̄, quieta senex.
 O nimium dilecta DEO! cui vita secundis
 Ut sic perpetuet, mors Tibi sancta dedit.

L. M. Q. P.

Johannes Schilter, D. Conf. Aul.

Quam DEUS è vivis Matronam excedere jussit,
 Æternâ hanc vitâ vult recreare DEUS.
 Quæque prius nobis spectata est in chytâ virtus,
 Hujus perpetuò gloria lausq̄, manent.

In memoriam beatè Defunctæ apponebat

Johannes Musæus D. & P. P

Huc Pietas, Candor, Zelus, gratissima cœlo
 adeste tandem pectora;
 Fletibus & faciles nostris conjungite fletus,
 dolor oculis obambulet!
 Fœmina, cujus amor cœlum, cœlestia totis
 Quæ diligebat viribus;
 Fœmina, cui Pietas simplex, cui vita beata,
 Omni remoto crimine;
 Illa ævi satura annoso discedit ab orbe,
 scanditque cœli sidera.
 Hæc Vestro plangenda foro, fera plangite fata;
 Gratamini quin gaudia:
 Scilicet inter agit Superos, ac læta triumphat,
 Melioris Hospes Patriæ.

Frid. Bechmann / D.P.P.

Stemmatis atque animi multò splendore coruscans
 Matrona mortis carceres atros subit

Sed

Perrumpit ingens pristinae laudis decor.

Honoris ergò scrib.

Joh. Guilielmus Bajer, S. Th. D. P. P.

MATRONALIS HONOR

SPLENDIDISSIMAE AB ORTU, STATU STUDIIS QVE ZERSENÆ,

COSPOTHIANAE VIDUAE,

JAM SUIS DESIDERATISSIMI CONJUGIS AMORIBUS

MATURIUS REDUNITAE,

SUPREMO CULTU EXCEPTUS

A

PHILIPPO MÜLLERO, SS. THEOL. D. ET P. P.

Foemina, vir, dea; forma, animo, pietate, coruscas

Sedes obscurâ è valle serena petit.

Fœmina, Pandoram divinis dotibus implens;

COSPOTHIAEque Parens, ceu Rhea, magna domûs.

Virg, animo, ut Prolem generosos armat in ausus,

nec patitur viduum consilio esse thorum.

Vivendi hæc mora. Nec seram COSPOTHIUS heros

increpet, ereptæ conjugis ora querens.

Conjugii Illa decus, dulcissima pignora, Patri

dum fovet, & pulchro lusitat ore nepos;

Dum regalis honor surgentia lumina vestit,

publicaque his ducibus fata salusque vigent;

absolvit Matrôna suas lætissima curas,

inque Viri amplexus nuncia grata redit.

Jam Dea, cui bipatens venienti se ornat Olympus,

& stupet ad vultus turba beata novos.

Tu modò, Semonis cultrix non falsa mariti,

Jena, pios cineres bis studiosa fove.

Fœmina Salaidum cura æmula crescito laudi,

Quanta Viri tenuit gratia honorque viros!

Ferales fumant taxi, tristemque recludit

horam Sol, hinc patresque plebesque *Jenenses*

illacrymant, & deflet *triplex triga* Sororum

mortem KOSPOTHÆ, *matrona insignis, & omni*

elogio majoris, quæ pietate celebris

sincera, ac tot nobilibus virtutibus aureis

eminuit velut inter stellas *Luna* minores.

Sed nescit flecti mors, Vos duo *Sidera magna,*

Vos KOSPOTHI *Illustres, Excelsique Viri* vim

ingentem lacrymarum sistite, *matris Iesus*

festinantem animam cognatis inserit astris.

observantia c. scrib. οὐρανίου

Johann Volk. Bechmann / Jctus.

KOSPOTHIAE nostræ dum mors fuit ipsa senectus

In cœlo vivit, mors ubi nulla latet.

Condol. caus. scrib.

Johannes Christophorus Saltner / J. U. D. Prof. Publ.

Plena malis vita est, gemitu plena atque dolore

Perpetuò, nunquam lugubria tempora cessant;

Libera sed cunctis, MATRONA, hæc linqvis & exis,

Jamq, tenet placidam tua fessa carina quietem,

Semper ubi Zephyri, Zephyrisq, salubrior aura

Spirat, ubi eternum requies durabit amica.

Quæque crucis socia heic fueras dum vita manebat,

Nunc

Molliter interea Tua sedibus ossa quiescant.

Hæc ad contestandum suum dolorem L. M. Q. F.

Henricus Balthasar Kofh / J. U. D. P. P.

Cui requiem Cœli concedunt Fata Suprema,
irrequiem mundi deserit ille lubens.

Rudolph-Vilhelmus Krauß / D. P. P.

Optima mors, cui vita diu benè prævia ducta est;
Interpres melioris hic est, hoc auspice cœlum
Panditur, & lati superas conscendimus arces.
Exemplum defuncta fiet KOSPOTHIA morte
Annorum numero felix, felicior inde
Natorum famâ, & sexûs virtute decorâ,
Ast vitæ tali quàm felicissima sine.

Observantiæ & affectus causâ facieb.

Georg-Wolffg. Wedelius, D.

Fœmineum supra sexum matrona locanda
Quàm rarâ morum dote fideque fuit!
Nunc satura hæc vitæ terrenæ astrisque recepta,
Cœlica cum Christo gaudia perpes agit.

*Memoria Nobilissima omnig, virtutum genere
commendatissima defunctæ scribeb.*

Joh. Frischmuth / Lingg. Sacr. P. P.

† **P**hoëborus ingenti præcellit lumine Phœbum:
Nempe Venus mundi Nobilis astrapetit

† Venus interdiu sereno cœlo coram sole conspicitur his diebus.

Erh. Weigelius, PP.

Quam Pietas genuit, genitâ tranquilla senectus
Nutrit, nutritam Parca benigna tulit.
Sublatamque Poli gaudent decus addier ipsi,
Innocuumque decus, purpureumque decus.

Illustris Matrona ultimo honori scrib.

Caspar Posner, P. P.

Reddenda est terra terra; astra benigna subibit
SPIRITUS à Dominò; corpus init TUMULUM.

f.

Johannes Christophorus Hundes-
hagen / SS. Th. Licent. & Logices atque
Primæ Philos. Professor Publ.

Summa dies & fata nigrò velamine cunctâ
splendescens speculum nobilitate tegunt!
Matres ergo fleant, queis cernimus esse negatum
Ejus consiliis instituisse sua.
Mollior est fortuna Viris, dum Sangvinis una
vivida nequicquam est hujus imago super.
Servet in exemplum DEUS & conservet Ultramque,
ut sit, quod possint Nomina magna sequi.

Observantiam testaturus f.

Valentinus Belfhem / Moral. P. P.

Quæ decus uxorum fuit atque corona superstes,
Quæque sibi novit vix pietate parem:

Huic nunc peccati postquam stipendia solvit,
Ex merito Christi pulchra corona data est.

Per Illustris ac piissimæ Matronæ abitum lugens,
de gloria gratulatur

Carolus Caffa, S. Th. D. & Ll. It.
& Gall. P. P.

Obijce nunc atavos morti, seramque tuorum
Progeniem tumido, vane, supercilio.

Aurea quid valeant insignia; picta secantis
Atropos impediunt num simulacra manum?

Nobilis elato MATRONÆ funere discas,
Quæ merito vera nobilitate nitet.

Nam Virtute simul Pietateque clara (Neandro
Hinc Nostro pridem concelebrata) viget.

Nunc date cupressus busto, date ferta sepulchro.
NOBILIS HIC PIETAS CONTVMVLATA JACET.

CASPAR SAGITTARIUS, Hist. Prof. P.

Per antiquâ Nobilitate Illustris, & insigni pietate vene-
rabilis MATRONÆ in DEO defunctæ

DOMINÆ CATHARINÆ
à KOSPOTH & c.

VALEDICTORIA:

Quando nunc Animam, CARISSIMA PIGNORA
CORDIS!

Avocat è fragili corpore SANCTA TRIAS;
Ex aquo VOBIS impertio vota, quod AMBO

Certa stis MECUM semper amore pari:
VIVITE FELICES! FAVEANT BONA NUMINA
VOBIS!

UTRAQUE VESTRA DEO SIT BENEDICTA
DOMUS!

Nunc EGO cum Sanctis aternâ pace triumpho,
Quâ vice noluerim totius Orbis opes:

Quæ re peccati fueram, modò sanguine CHRISTI
Purificata DEI gloriâ ante thronum.

Debitæ condolentiæ & observantiæ
ergo f.

Johannes Grajus, Academiæ
Secretarius.

2D

Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!

4. Juli 1996		
12. Juli 1998		
März 2000		

ok
2,92 1/2

2,92 1/2

KB

10,2,50

ihes-
ark

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0177589

1. B. 8333

